

nullon ego Chremeti' pacto adfinitatem effugere potero?  
quot modis contemptu' spretu'! facta transacta omnia.

hem

repudiatu' repetor. quām ōb rem? nisi si id est quod  
suspicor:

250 aliquid monstri alunt; ea quoniam nemini obtrudi potest, 15  
itur ad me. *MY.* oratio haec me miseram exanimavit metu.

*PA.* nam quid ego dicam de patre? ah  
tantamne rem tam neglegenter agere! praeteriens modo  
mi apūd forum "uxor tibi ducendast, Pamphile, hodie"  
inquit: "para,

255 abī domum." id mihi visust dicere "abī cito ac suspende te." 20  
obstipui. censem me verbum potuisse ullum proloqui? aut  
ullam causam, ineptam saltem falsam iniquam? obmutui.  
quod si ego rescissem id priu', quid facerem si quis nunc  
me roget:

aliquid facerem ut hoc ne facerem. sed nunc quid primum  
exsequar?

260 tot me impedit curae, quae meum animum divorsae 25  
trahunt:

amōr, misericordia huiu', nuptiarum sollicitatio,  
tum patri' pudor, qui me tam leni passus est animo usque  
adhuc

quae mēo quomque animo lubitumst facere. ēine ego ut  
ādvorser? ei mihi!

incertumst quid agam. *MY.* misera timeo "incertum" hoc  
quorsus accidat.

265 sed nunc peropust aut hunc cum ipsa aut de illa aliquid me 30  
advorsum hunc loqui: